



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXXVIII. De S. Laurentio Martyre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. XXXVIII.

De S. Laurentio martyre.

Epis copis Diaconum subijcio qui illis in Sacrosancto Missæ officio ab antiquo minister est secūdum illud S. Laurentij ad Sixtum Pontificem clamantis: Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu numquã sine ministro sacrificium offerre consueueras. Est verò hic, idem ille Laurentius non solùm Diaconus sed Diaconorum primicerius siue Archidiaconus, quod amplissimum semper fuit in Ecclesia officium, adedò vt Honoratus Archidiaconus Salonitanus, apud S. Gregorium grauitèr questus fuerit degradari se potius quàm prouehi cùm ab eo in presbyterum ordinari tentaretur. Administrabant enim Diaconi bona Ecclesiæ, cuius rei causa contingebat, vt ubique maiori quàm Sacerdotes à populo frequentarentur obsequio. Unde grauis sub Anastasio Papa circa annum 400. Romæ inter presbyteros & diaconos oborta est contentio, dum hi administrantes res Ecclesiæ supercilio elati spernerent presbyteros: presbyteri autem ex consuetudine Rom. Ecclesiæ, ipsis in Ecclesia sedentibus Diaconos stare debere contenderent; quæ pertinax contentio eò vsque progressa est vt etiam cùm stantes diaconi coram populo legerent Euangelium, presbyteri minimè è sessione confurgerent. Quod vt enorme factum Anastasius corrigeret, decretum edidit vt dum Euangelium in Ecclesia recitaretur, sacerdotes non sederent, sed curui starent. &

Vide Bar.
in Anast.
an. 402.

fanciuerat iam antea Magnum Nicænum Concilium Canonem, ne Diaconi quid præter ius fasque præsumerent, atque vt inferiores se presbyteris agnoscerent. In tantum enim insolecebant vt inter presbyteros sedere, atque etiam in domesticis conuiujs benedictiones eis dare præsumerent, quia se præ illis à populo non tam propter Ordinem quam propter bursam (vt etiam hodie similibus Officialibus contingit) videbant honorari.

Leo in
natali S.
Laurent.

Ex contentioso & præsumptuoso hoc numero non fuit sanctus noster Laurentius, quamuis, vt ait sanctus Leo, non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ emereret, de quo canit Ecclesia, quod post aurum non abierit nec sperauerit in pecunia. Natus hic est in Hispania parentibus Orentio & Patientiâ martyribus, vt habent monumenta Oscensis Ecclesiæ, qui sub Valeriano postmodum (non Decio vt quidam malè ponunt) Imperatore clarissimus factus athleta fidei, illustre certamen obiens, post diuersa tormenta, demum craticulæ impositus, & igne affatus, insignem martyrij coronam consecutus, admirandâ planè animi virtute de persecutorum perfidia triumphauit. Qui iam mediâ corporis sui parte affatus, nequidquam crudelissimo tormento fractus generosè tyranno insultauit, *Versa est manduca*; ne videlicet semicoctus apponeretur. Extant eius Acta pulcherrima, quæ quòd præ sui excellentia diuerso scriptorum genere contestata, nempe oratione soluta Sanctorum Patrum encomijs celebrata, atque poësi egregiè decantata, quodque ore omnium peruulgata & aëribus illapsa noscantur, hîc prætermittimus recensere. Compendio gloriosum eius certamen enarrat Martyrologium Rom.

10. Au-

10. Augusti his verbis: Romæ via Tiburtina natalis beati Laurentij Archidiaconi, qui in persecutione Valeriani, post plurima tormenta carceris, verberum diuersorum scorpionum, fustium & plumbatarum & laminarum ardentium, ad vltimum in craticula ferrea affatus, martyrium compleuit.

Cur verò eundem sanctis hisce Tutelaribus adnumerem, in causa est quòd magna populi deuotione in Burgundia contra pestem soleat inuocari & inuocantibus opem ferre, vt & nobis feret si debitè eum inuocauerimus; meruit enim pestiferum ignem extinguere, qui per ignem examinatus & vas purum inuentus fuit. Sacræ eius Reliquiæ diuersis in locis piè honorantur, vt in dicta Burgundia, in Hispania, in Gallia vbi pars craticulæ eius asseruatur, in Coenobio item nostro Præmonstratensi Lauduni, vbi sacrum eius Brachium visitur vstulationis notas hodieque repræsentans, Ruremondæ in Geldriâ, quas magno pretio Philippus Secundus Hispaniarum rex sæpius sollicitè valde redimere studuit, at non potuit, ciuibns tam pretioso thesauro carere nolentibus, quo non semel à diuersis malis liberati & præseruati fuerunt.

Sanctorum enim pignora, vt alibi dixi, ciuitatum sunt præsidia: qualiter autem Leodiensis Ecclesia in qua etiam contra pestem inuocatur (vt postea dicam) de Reliquiis sancti Laurentij honorari meruerit, ita refert Chapeauille tomo secundo gestorum Pontificum Leodiensium capite octauo, ex Ægidio Auræ Vallis Religioso. Quidam religiosus Clericus Leodiensis vrbs, nobilis familiæ, diuitis census, nomine Godefridus, consuetudinem fecerat quotannis sanctum adire Petrum, eiusque

In Rosa
candida
& rubi-
cunda
Venerab.
Petri
Calmp-
houtani.

eiusque misericordiam pro suorum enormitate deprecari facinorum. Hic diuertit Romæ in cellam Abbatis Huberti confanguinei sui, quæ sita erat secus Basilicam pretiosi Leuitæ Laurentij cuius custodia penes eundem Abbatem erat. Prædictus Godefridus coepit ingredi Basilicam hanc & egredi & scrutari singula quæ ibi haberentur Sanctorum pignora. Certior de illis factus æstuarare coepit quomodo de ipsis reliquijs furaretur, & Cœnobio sancti Laurentij Leodij sito impertiretur.

Captata igitur Abbatis absentia fraudem nobilem parat. Unum de familiaribus secum assumit, Ecclesiam noctu quasi matutinas dicturus intrat, accedit ad altare, ampullam cristallinam deponit (seruabatur ibi in ampulla dicta liquor ille, qui desuper craticula ab Hippolito & Iustino de eius corpore expressus est; quo thesauro nihil carius putat diues Roma) vt in suam quam parauerat liquorem sanctum transfundat. Sed liquor crassus, & coagulatus fluere non poterat, & necesse erat aliquo adminiculo eundem secerni ab altero. Cùm autem nihil in Ecclesia reperiret, neque foras exire aude- ret, coepit mœrere & sancti Martyris meritum implorare. Cùmque genu flexo pectus tunderet, reducto paululum visu conspicatur in pauimento mundo, quasi eadem hora paratum paruissimum lignum huic operi satis congruum. Hoc assumens quasi coelitus missum, ex vase illo cristallino transposuit in vas suum liquorem sanctissimum. Statim odor suauissimus intra omnia balsama fragrans subsequitur. Media nocte Roma egreditur equo vectus, & Leodium veniens recum Theodino Episcopo communicata, solemnissima pompa excipiuntur sacræ hæ reliquiæ. erat eo-
tem-

tempore tanta pluuiarum inundatio tamque valida imbrium effusio, vt pænè alterum diluuium crederetur. vbi verò ad cornu altaris sunt perlata, & chorus Litaniam exorsus est, *Kyrie eleyson, Domine miserere*; Sol qui fuerat in nubilo pænè per vnum mensem, ita hora eadem radiorum suorum lucem profudit, vt ambabus manibus populus plauderet & præ magnitudine lætitiæ lacrymas funderet. nec fortuita fuit illa serenitas, sed continua, perseverans, quæ omni mundo spem reddidit & salutem. Facta sunt ista post annum 1000. sub Episcopo Theoduno. Scribit idem Aegidius Aureæ-vallis religiosus, solenne esse Clero ac populo Leodiensi, ad Ecclesiam S. Laurentij (in signis ibidem hodie Benedictinorum Abbatia est) cum Litanij conuenire quoties vel intemperie aëris, vel alio incommodo exortæ fuerint tribulationes quælibet, cuius merita illis nonnumquam subuenisse, haud dubium est.

Disputant verò Summistæ an liceat reliquias furtiuè subtrahere vt alibi honorabilius collocentur, & concludunt non licere, imò huiusmodi subtractionem esse sacrilegium, § 7. 44. *Quisquis*. quod verum esse aiunt etiam si ex deuotione fiat, licet enim pium furtum dicatur, tamen furtum est, adeoque illicitum; estque sacrilegium huiusmodi eo grauius quo carius hæc sacra pignora à possessoribus eorum solent estimari, quin ex citato iam c. *Quisquis* deducit Siluester, tales subtractores ante quamlibet admonitionem excommunicationem minorem contrahere, donec satisfaciant, id est, nisi prius satisfecerint non posse Sacramentum altaris suscipere: ter verò admonitos nisi satisfaciant esse excommunicatione maiori multandos. Adnotandum est hoc, inquit Azor. propter eos qui efferunt sacras Reliquias, vt aliò deportent, Romæ ex cœmeterijs & alijs sacris locis vbi Martyrum ossa, membra, vel corpora requiescunt, occultè absque facultate generali vel speciali,

Azor.
instit.
Moral.
lib. 9. ca. 6.

expressa vel tacita Rom. Pontificis vel vicarij vel eius cui
 sacer locus commissus est, aut data facultas qua possit alijs
 reliquias dare. Sed pluribus de his differo in vita S. Dignæ
 occasione furtivæ ablationis corporis S. Gerebneri. Chap-
 peauille excusat factum supradictum quòd fuerint eius
 authores vel defensores in contraria opinione ex commu-
 ni forsitan illius temporis errore, qui vtinam, inquit, hodie
 etiam apud viros alioqui religiosos non vigeret.

Neque solo prædicto S. Martyris sacro liquore felix est
 Leodium, sed etiam alijs eiusdem pretiosis reliquijs, de
 quibus ista Chappeauille to. 2. c. 93. Anno 1200 obiit Do-
 minus Albertus de Cuyck Leodiensis Episcopus. hic in
 Curia Romana grandi studio & labore obtinuerat pretio-
 sissimas reliquias videlicet de corpore beatissimi martyris
 Laurentij, id est, de carne eius in craticula affata, sanguine
 tamen quasi recenter perfusa, vt se intuentibus veritas ad-
 huc ostendit, quæ in magna veneratione ab eo habitæ,
 post decessum eius procurante Domino Abbate Ottone,
 tertio Calend. Maij ad nos cum magno honore translata
 in maiori altari sunt assumptæ. quam diem ipse Otto Abbas
 deinceps in futurum annua commemoratione constituit
 esse solennem, quia nihil boni possumus quin eius honori
 debeamus assignavit etiam fratribus eo die ad refectorium
 octo modios spectæ, super septem bonnaria terræ in Glons.
 ita ille ex Aegidio & gestis Abbatum S. Laurentij. Anti-
 qua siquidem & laudabilis à pijs Viris vsitata consuetudo
 est, in monasterijs alijsque sacris congregationibus, diebus
 solennioribus maximè patronorum Ecclesiarum hone-
 stiorem aliquam portionem quotidianæ mensæ superad-
 dere, vt secundum faciem Sanctorum in Domino lætaren-
 tur. ita Viros sanctissimos quotidie ieiunare solitos, festiuis
 diebus lautius aliquantulum pransos fuisse legimus. sem-
 per tamen memores illius Apostolici: Siue manducarent,
 Domino

Domino se manducare, siue nō manducaret, eque Domini
caussa non manducare. & nominatim de S. vidua Iudith
testatur Scriptura, quòd ieiunauerit omnibus diebus vitæ ^{Iudith}
suæ præter Sabbata, & neomenias & festa domus Israel. _{ca p. 8.}

Solet verò hic sanctus Martyr miro animi affectu à con-
terranea sibi Hispanorum gente coli & in periculis inuo-
cari: quibus frequentissimè præclaras admodum victorias
contra eorum hostes, festo suo potissimùm die, impetrauit,
vt nominatim omnibus nobis constat de celeberrimo illo
prælio ante fanum S. Quintini anno 1557. in quo constat, in
quo Augusti decima die eidem Sancto sacra Galli, auspicijs
Philippi II. Principis nostri & regis Catholici, superati,
cæsis multis, saluis paucis, nobilem victoriæ palmam His-
panorum exercitui Belgarum proceribus rem strenuissimè
agentibus, tradiderunt. vnde Chronicon istud extat:

*LVX saCra LaVrent I, GaLLorVm sangV Ine sordet,
sVb QVint InopoLi Vt Castra PhIliPpVs habet.*

Inde repentina illius oppidi deditio fuit subsecuta, in cuius
beneficij memoriam cælesti suo auxiliatori Philippus II.
prodigiosum illud & octauum mundi miraculum meritò
dicendum templum in Hispania ædificauit, quod, Santo
Lorenzo en Escorial, hodie nominatur.

CAP. XXXIX.

De S. Oswaldo Anglorum rege.

AB Oswaldo Anglorum Episcopo, ad Oswaldum
Anglorum regem pariter sanctum, stilum conuer- ^{1. 1. c. 6.}
to. Mira sunt quæ de sancto hoc rege narrat Beda
atque inter cetera de amore & beneficentia eius singulari